



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

23. De Odio: Eius definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

patere, quasi periculi aliquid portenderet, superstitiosè a morione castrorum, suadentibus nonnullis, abstinuit; ex quo florentissimū exercitum in laniam apertam coniecit. Quin & populum, sua memoria, aded amantem referit Viues, vt Lunam ab asino epotam, vanis terroribus inductus crederet: eum asino de fluuio, vt affoler, bibeate, Lunæ imago renidens in fluuio, ad obiectam nubem subito se condidisset. Quamobrem & miser asinus in carcerem actus, & post legitimam quæstionem factus est, vt Lunam mundo redderet. Dicit non potest quantum in eo superstitionum genere luserint oratores, & quam graues inde terrorum affectus inculserint, quos prædita calliditate, sedare, & in risum vertere facillimum fuit.

At in sacris concionibus, alia habemus non vana terreculamenta, sed firmissima iracundiæ Dei in improbos argumenta, in quibus cœlestis illa eloquentia, vt alias videbimus, triumphare solet.

De metus remissione nihil hic attrinet pluribus dicere, cum ex contrario affectu spei & fiducia satis sit manifestum.

De Odio.

Eius definitio.

CAPVT XXIII.

Quæ de amoris natura dicta sunt hæcenus, commodiorem ad omnes odij affectus cognoscendos sternaunt viam. Vt enim amor, est ad rem dilectam naturalis quædam propensio, sic odium, est animæ ab eo quod malum sibi esse sentit, auersio. Nonnulli cum ira confundunt: si quidem D. Augustinus in libro definitionum, Odium, veterem iram ex pluribus causis collectam, & diuturno tempore perfectam, definit; haud multum à Marco Tulio dissentiens, qui odium iram inueteratam esse dixit. Sunt ista quidem inter se magno affinitatis vinculo coniuncta; differunt tamen nonnihil, vt ingeniosè obseruat Aristoteles in Rhetoricis. Primum enim, Ira propriè ex priuatis aut communibus, quæ ad nos quoquo modo spectant, iniurijs, ebullite solet; Odium ex foetibus magis vniuersis oritur, vt ex improbitate, licet ipsa minimè nos læserit: improbos quippe omnes auersamur, non autem omnibus irascimur; sed singulis, à quibus nos

lætos esse arbitramur. Deinde ita, cum molestia quadam & dolore coniuncta est, cum præsertim perturbationis quasi fluxus intumescunt; Odium sine molestia est & dolore eius qui odit.

Tertio, ira studet dolorem & cruciatum inferre ei cui succenset: Odium, malum potius quam molestos sensus machinatur. Postremò, ira mitigatur facilius, & malis illius cui irascitur, satiata, statim deferuescit: Odium sanatur difficilius, & nulla fermè mali magnitudine superatur.

De quatuor odij generibus.

CAPVT XXIV.

Non vna est Odij natura, sed in multos veluti concisa ramos, qui videntur ad quatuor capita posse referri commodius. Vnum est odium melancholicum; Alterum, ferinum; Tertium, humanum. Quartum denique, naturale. Melancholicum, ex atræ bilis redundantia oriri solet: quæ ita plerumque miserum agit, & versat, vt omnes honestas voluptates, lucem, homines, se denique ipsos oderint. Itaque confisos fugiunt oculos, vitæ ciuilibis auersantur studia, & in vastas penetrant solitudines, in quibus hominum odio & vitæ tædio contabescunt. Talis fuit Timon *μωλιχιδωνος*, in omne genus humanum singulari odio tener, & funestus, qui se nullum iuculentius populo Atheniensium largiri posse credebat beneficium, quàm si ad mortis compendia, patibula & funes suggereret. Hanc odij vesaniam morbum Bellerophontem antiqui nominarunt, quod ea ipsa tristitiæ tabe laborasse Bellerophon crederetur, vt indicat Rutilius Lupus.

Hunc nimia bilis morbum assignauit Homerus Bellerophontem sollicitudinibus.

Sed homo Ethnicus, Christiano nomine perinfectus, impie Anachoretarum & Monachorum institutum sigillat, quos Lucifugas viros nominat, & Bellerophonteo morbo perditos, in solitudinibus degerere existimat. Si quem habuisset rerum diuinarum sensum, homo ad cœnum magis aptus, quam ad cœlum, agnouisset nullos esse lætiores, nullos tranquillioris animi, vitæque commodioris, quam qui remisso vanissimis rebus nū-

Odia quatuor.

Rutilium Lupum in itinere.

D d d cio,